

QUINQUAGESIMO REDEUNTE ANNO AB EDITO MOTU PROPRIO «INTER PASTORALIS OFFICII»

Beati Pii Pp. X deque eius originibus ac interpretatione
(22 nov. 1903-22 nov. 1953)

Decet omnino ut Piani de musica sacra Chirographi, cuius fructus in vita Ecclesiae uberes profecto fuerunt, iubilarem celebremus annum; quod dignius fieri nequit quam ut genuinus eiusdem sensus ac peculiare momentum nobis clarescat.

Si vero obiectiva cuiusvis legis interpretatio fieri nequit, nisi attente consideremus historicas condiciones, quarum causa eadem lex orta ac promulgata fuerit, id potissimum valet quoad leges de musica sacra. Ut enim iam monuerat Beatus Pius X: "... sive huius artis ipsa natura nutanti atque varia, sive iudicii ac morum per saeculorum cursum secuta immutatione, sive funesta illa vi, quam in artem sacram ars prophana atque theatralis exercet, sive voluptate quam musica directe producit, neque facile debitis finibus potest contineri, sive denique praeiudicatis opinionibus levi opera in rem sese ingerentibus, ac deinde vel in cordatis atque piis hominibus tenacius adhaerentibus, voluntas in id usque contendit, ut à recta via commode aberret. quam sibi statuit consilium unde ars ad cultus famulatum adhiberetur..." (M. P., prooemium.)

Musicae sacrae igitur reformatio per Pianum Chirographum peracta plene intelligi nequit, nisi ad historicas circumstantias attendamus, in quibus et propter quas illud editum et promulgatum fuit.

Et quoniam materia amplissime patet, innuere tantum mihi liceat quoniam fuerint Germaniae ac Italiae ad invicem influxus in praemissis tum negativis quum positivis statuendis, quibus "Motu Proprio" innititur.

Saeculo XIX musicae sacrae condiciones in Europa graves profecto erant, cum laicismus, qui totam christianam societatem invaserat ac perturbaverat, catholica etiam templa attigerat.

Duplex praesertim abusus inter alios irrepserat, quorum alter in nimia amplitudine praecipue erat musicae sacrae compositionum; illorum Auc-

torum, qui classici viennenses vocantur; quo evenit ut musica illa, quamvis arte praecellens, ipsos liturgicos ritus nedum ornaret, suffocaret potius atque principem usurparet locum.

At gravior fuit alter abusus, in Nationibus latinis plus minusve diffusus, stylum romanticum in musica sacra adhibendi, imo ipsam exteriorem eiusdem formam ac themata theatralis operae.

Qui quidem abusus ex eo prae primis repetunt rationem quod S. Liturgiae origines ac spiritus sensim sine sensu in oblivionem lapsae sunt non solum apud fideles, sed etiam apud ipsos SS. Ministros.

Fortiter tamen restitit Ecclesiastica Auctoritas, quae tum Romae quum alibi exhortationes, ordinationes ac normas de musica sacra pro locorum necessitatibus opportune edidit. Ad in vero enmenda multum in primis contulit restauratio illa liturgica saeculo XIX labente incoepa cura D. ni Gueranger aliorumque illustrium virorum, qui studio vacaverunt S. Liturgiae sub aspectu filologico, historico et aesthetico.

In hac tenaci actione contra excessus musicae profanae in musicam sacram saeculi XIX, principem locum facile obtinet Natio Germanica, cuius Sacri Pastores, simul cum Clero in Synodis ac Conciliis coadunati, praecleara statuere praescripta ut musica in templis sacra revera diceretur et esset.

Hae aliaeque sapientissimae normae steriles tamen remansissent, si viri defuissent ad earundem exsequutionem active cooperantes per organa ad hoc apte disposita, moderante Ecclesiastica Hierarchia. Nemo enim est qui ignoret quantum musicae sacrae restaurandae contulerint illustri musicologi ac editores germanici, qui opera classicae polyphoniae, in Italiae tabulariis sepulta, in lucem dederunt atque late diffuderunt. Nec silentio praetereunda schola illa Ratisbonensis, cuius immerito quidam recolunt tantum editionem illam sic dictam mediceam gregoriani cantus, obliviscentes quot magistros musica sacra optime imbutos schola illa efformaverit non solum pro Germania, sed etiam pro aliis Nationibus.

Qui vero in Germania apostolus exstitit studiosissimus reformationis musicae sacrae, fuit ille Can. Witt, qui in antiquas Consociationes a S. Caecilia novum ac sanum invexit spiritum easque denuo erigendas atque ab ipsa Apostolica Sede confirmandas sategit. Etenim Cardinales Schwarzenberg, Archiepiscopus Pragensis, Rauscher, Archiepiscopus Viennensis, necnon 27 Archiepiscopi et Episcopi Germanici, Romae coadunati ob Concilium Vaticanum, mense junio anni 1870 supplicem libellum ad hoc Summo Pontifici Pio IX porrexerunt, qui Praesulum vota libenter excipiens Constitutionem Apostolicam promulgavit *Multum ad movendos animos* sub die XVI de-

cembris anni 1870, merito habitam ut magnam chartam earundem Consociationum in Germania.

Ad illustrandam autem intimam relationem Germaniam inter ac Italiam quoad actionem reformationis musicae sacrae, notatu dignum mihi videtur has Consociationes in Germania denuo constitutas fuisse ad instar Congregationis a S. Caecilia iam ab anno 1585 Romae erectae.

In praefato enim supplici libello italiae lingua exarcto a Germanico Episcopatu, initio, haec legimus:

"*Beatissimo Padre:*

Costituitasi alcuni anni or sono una Pia Associazione consimile a quella di S. Cecilia di questa Capitale, avente per solo ed unico scopo di riformare la musica ecclesiastica a seconda delle prescrizioni liturgiche e delle benigne e provvide disposizioni emanate più volte in proposito dalla Santità Vostra, e togliere così quanto di profano e di non edificante si è insinuato coll'andar dei tempi nella musica della Chiesa, i sottoscritti Vescovi... ecc."

Quod in citata Constitutione Pius IX hisce verbis fideliter retulit: "... Sacri Antistites plurium dioecesium, quarum incolae germanice loquuntur, salubre ac frugiferum consilium inierunt pia quaedam sodalitia ipsis in dioecibus instituere, quibus a S. Caecilia nomen fieret atque at illud potissimum intenderent ut sacri concentus ad ecclesiasticas merasque normas reducerentur. *His Sodalitiis instar esse voluerunt Congregationem a S. Caecilia, quae nominatur, Almae huius Urbis...*" (1).

Verum quidem est antiquam illam Romanam Congregationem multas ob causas a pristino spiritu defecisse nec musicae theatri invasionem in catholica templa impedire haud valuisse, ne dicam in tota Italia, sed ne Romae quidem, si Capellam Pontificiam excipias, quae tamen extra illius Congregationis influxum semper vixit. Post eversionem autem Status Pontificii anno 1870 peractam, antiqua Congregatio Romana a S. Caecilia ad opus quoddam laicale, imo Ecclesiae Catholicae ac Summo Pontifici acriter infensum reducta fuit. Quamobrem sacerdos Guerinus Amelli, qui, ut Can. Witt in Germania, in Italia arduum opus suscepit reformandae musicae sacrae a theatri turpiter contaminatae, auspicia coepit non a Romana illa Congregatione a S. Caecilia, sed a Consociationibus Caecilianis Germanicis tunc temporis nuper erectis.

Divina sane Providentia evenit ut illo ipso anno, quo antiqua illa Congregatio Romana a S. Caecilia laicizata fuit, novae ac fortes exsurgerent in

(1) Cfr. *Bollettino Ceciliano*, vol. V (1910), p. 3.

Germania Consociationes a S. Caecilia, quae illius Congregationis fines ardentem resumerent ad musicam sacram quod attinet, ac feliciter consequerentur.

Hinc dici potest ac debet antiquam Congregationem Romanam a S. Caecilia causam utique fuisse exemplarem Consociationum a S. Caecilia quae in Germania exortae sunt; has tamen causam fuisse efficientem reformationis musicae sacrae non solum in Germania, sed in tota Europa.

Et revera sac. Guerinus Amelli, Consociationem Italicam a S. Caecilia Mediolani instituens, non alia habuit Statuta nisi illa, quae, ab Episcopatu Germanico exhibita, dein a Pio IX confirmata fuerunt.

Fructus autem huiusmodi caeciliani apostolatus, in Italia etiam, nec pauci neque parvi fuerunt. Memorasse sufficiat in primis Ordinationem de musica sacra anno 1884 a Sacra Rituum Congregatione editam. At praeter S. Sedis documenta, alia multa de musica sacra restauranda egregie praescripta promulgata fuerunt a Sacris Italiae Pastoribus. Inter quos merito eminent Joseph Sarto, qui iam in Constitutionibus dioecesanis Mantuanis, ac praecipue in Litteris Pastoralibus die 1 maii anni 1895 Venetiis datis, non solum spiritum ac substantiam, sed ipsam litteram ac materiam apparavit, quam postea Pontifex factus *Motu Proprio* in Codicem digessit.

A veritate igitur aberrant qui affirmant Beatum Pium X non ipsum fuisse verum ac praecipuum auctorem Sui Chirographi de musica sacra: si has Pastorales Eiusdem Litteras legerent, affirmationem illam haud facerent vel saltem retractarent.

Sicut enim Pius IX Constitutione Apostolica *Multum ad movendos animos*, ad instantiam Praesulum Germanicae Nationis edita, musicae sacrae restaurationem in eadem Natione laudabiliter peractam firmavit ac solemniter consecravit apostolico sigillo; ita Patriarcha Venetiarum Suis Pastoralibus Litteris solida fundamenta posuit universalis illius reformationis circa musicam sacram Suo nomine merito insignitam, quae ideo Piana appellari potest sicut antiqua illa cantus sacri reformatio, a Gregorio Magno promota, Gregoriana dicitur.

* * *

Revera Patriarcha Venetiarum, statim ac, praeter omne humanum consilium, Pontifex est factus "ignis ardens" existens caritatis erga Deum et homines, praecipuam habuit sollicitudinem "ut decorem Domus Dei *serviret* atque *promoveret*, ubi augustissima Religionis mysteria celebrantur, populusque Christianus ad Sacramentorum gratiam excipiendam, sancto Altaris Sacrificio adstandum, augustissimam Eucharistiam adorandam, ut de-

nique in publicis iisque solemnibus Sacris liturgicis communium Ecclesiae praecum particeps fiat. Ne quid igitur occurrat in Templo necesse est unde fidelium pietas ac devotio avocetur vel tantum imminuatur, nihil in primis quod sacrarum Caeremoniarum gravitatem sanctitatemque offendant atque ideo Domo orationis Dei que maiestate indignum evadat" (2). Quare Ipse ad unum animadvertit abusum "ex frequentioribus... eumque inter difficillimos qui evellatur, talem imo ut vel illic sit interdum deplorandus, ubi cetera omnia, tum ob Templi pulchritudinem atque magnificentiam, tum et administratorum Sacra agentium dignitate ac pietate, maximam laudem et administratorum Sacra agentium dignitate ac pietate, maximam laudem mercantur. Abusum *dicit* de rebus quae ad cantum sacramque musicam spectant" (3).

Optime igitur intelligitur cur Beatus Pius X, omnia in Christo instaurare exoptans, de Codice juridico musicae sacrae apparando in primis sollicitus fuerit, eumdeque Suo Chirographo in proxime insequenti Festo S. Caeciliae, musicae sacrae Patronae, signaverit ac paulo post solemniter promulgaverit.

Quod profecto tanti fuit momenti ac in aevum remanet monumentum ut iure meritoque eiusdem iubilarem annum celebremus.

In primis enim notandum quod prima vice habetur in Ecclesia legum liturgicarum de musica sacra systematica ordinatio in forma codicis, quodque anticipat universalem illam iuris Ecclesiae Catholicae synthesim, quam idem Beatus Pius X dein promovit atque Codice Iuris Canonici ad effectum perduxit.

Omnes probe norunt quot et quinam fructus in Ecclesiae disciplinam attulerit codificatio illa universi iuris canonici. Sed magis profuit, ad rem nostram quod attinet, codificatio iuris musicae sacrae, tum ratione nimiae varietatis ac multitudinis normarum particularium ac generalium, quae longo saeculorum intervallo editae a multis ignorabantur, quum praesertim ratione perplexitatis circa earundem interpretationem.

Utrumque inconveniens sustulit Beatus Pius X, qui—ut legimus in prooemio Sui Chirographi—illud promulgavit "ne quis in posterum officii sui ignorantiam excuset, utque, circa praescripta de re nonnulla, ambiguitas quaevis tollatur..." Res sane nec facilis neque commoda, si consideretur quam fluida ac mutabilis sit materia liturgica in genere ac musicae sacrae in specie: quod forte rationem nec ultimam constituit, qua universum ius liturgicum adhuc non fuerit in codicem reductum.

(2) Motu Proprio *Inter pastoralis officii*, prooemium.

(3) *Ibidem*.

Insuper notae sunt disputationes de vi iuridica legum liturgicarum. Haec etiam superavit Beatus Pius X, qui "*Motu Proprio* et certa scientia" Instructionem de musica sacra edere curavit eique "ex plenitudine Auctoritatis Suae Apostolicae" vim legis tribuere voluit, Suo Chirographo "diligentissimam eius observantiam omnibus praecipiens".

Quare sub aspectu iuridico Piana reformatio de musica sacra omni ex parte perfectissima fuit.

Ut vero evenire solet in omni rerum restauratione ac morum reformatione, non defuerunt qui in pontificio documento elementa tantum restrictiva considerantes affirmare ausi sint Pianum Chirographum musicae arti in Ecclesia sepulchralem imposuisse lapidem. Revera qui illud documentum legit, quin prae oculis habeat eius origines ac fines, in falsas interpretationes ac indebitas illationes facile prosiliet.

In *Motu Proprio* enim bene sunt distinguenda praescripta negativa quae directa sunt contra quosdam abusus tunc temporis exstantes, et praescripta positiva, quae principia essentialia ac immutabilia musicae sacrae ponunt. Quod duplex intentum ipse Beatus Pius X in prooemio Sui Chirographi his verbis indicavit: "... opportunum existimavimus brevi ea principia indicare, quae in cultus Caeremoniis musicam sacram moderantur, atque simul, veluti in unica tabula praecipua Ecclesiae praecepta contra abusus magis frequentes describere."

Praescripta vero negativa recte intelligi nequeunt, quin attendamus ad necessariam quandam reactionem contra abusus illos quam eadem praescripta prosequantur.

Si velimus igitur eadem praescripta obiective perpendere ut in praxim prudenter deducantur, necessarium erit ut, dempta vi polemica actionis et reactionis, abusum scilicet invectorum eorumque extirpationis, medium tenamus iter. Quod quidem, 50 iam elapsis annis a promulgato *Motu Proprio*, facilius nobis erit quam iis qui in conflictus aestu tunc vixerunt.

Loquar in primis de musica moderna, quae in *Motu Proprio* ultimum habet locum inter musicae sacrae genera, ita ut tolerata potius videatur quam probata atque condignis honestata laudibus.

Revera Beatus Pius X satis caute locutus est de musica sacra, quam compositores illius temporis iuxta eiusdem temporis formas effecturi erant, quasi propheticè intuens maximam difficultatem eorundem artificum spiritum prophanum prorsus abiiciendi.

At exinde infauste evenit ut quidam compositores, falso aestimantes eatenus se obsequium praestare Pianae reformationi quatenus ab omni artis musicae progressu abhorrerent, tritum calcarent iter in modulis sacris con-

ficiendis atque involutionem potius quam naturalem evolutionem in moderna musica sacra determinarent.

Eo usque perventum est ut musica *liturgica* musica *letargica* diceretur et aliquando esset.

At nihil magis alienum a littera ac spiritu Piani Chirographi quam ista involutio in musica sacra. Legimus enim in *Motu Proprio* (n. 5): "Ecclesia artium progressum indesinenter coluit eique favit, ad religionis usum omnia admittens, quae hominis mens bona pulchraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgicis legibus. Recentissimum itaque musicae genus et ipsum probatur, quippe quod opera excellentiae, sapientiae, gravitatis plena exhibeat, sacris Caeremoniis non indigna."

Quod quidem principium apprime confirmavit Pius XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* (n. 188).

Ceterum si ad musicae sacrae historiam attendamus, res vere nova fuit Occidentalibus cantus gregorius orientalibus praegnans sensibus ac modis: et tamen in Ecclesia Romana receptus fuit ac mirifice floruit.

Item classica polyphonia sacra, quamvis elementis gregorianis saepe saepius referta, a monodia gregoriana tamen profunde differt: et nihilominus summo honore habita est in Ecclesia.

Si hodie igitur desunt adhuc egregia novae musicae sacrae opera quae comparari possint cum monodia gregoriana ac polyphonia classica, immerito hoc imputatur *Motu Proprio* Beati Pii X. Ratio potius in eo est quod nostris temporibus desunt adhuc, proh! dolor, viri in musica arte ita eximii uti suis temporibus fuerunt ignoti ac miri artifices monodiae gregorianae, et, quoad polyphoniam, auctores uti Victoria, Palestrina aliique non pauci, qui elementa ac formas artis musicae suorum temporum profunde assimilantes spiritu liturgico imbuerunt, ut Divina Mystera modulis magnifica arte fulgentibus in sacris aedibus solemniter celebrarentur.

Quod ideo *Motu Proprio* Beatus Pius X damnavit, non fuit moderna musica quatenus moderna, sed theatralis stylus ac prophani sensus in musicam sacram eius temporis investi.

Utinam nostris temporibus exurgerent artis musicae artifices, qui et technicam vel modernissimam adhibentes et mistico spiritu praecipue ferventes, Sacram Liturgiam apprime noscentes ac intime de ea viventes, syntheses mirificam hodiernae artis musicae efficere valeant ac divino cultui pie consecrent.

Praeterea, aegre tulerunt quidam musicae sacrae praecones quod *Motu Proprio* praescrisit de choralitate musicae sacrae, dolentes unius vocis melos, quod tam efficaciter animi sensus excitare valet, sepositum fere fuisse.

Profecto nemo est qui ignoret cantum sic dictum "solisticum" proprium fuisse theatralis operae: hinc periculum, tunc temporis, contaminandae musicae sacrae ex usu et abusu huiusmodi cantus solistici ratione tum ipsius naturae huius cantus quum praesertim modi prophani, quem artifices ac cantores adhibebant in his melodiis proponendis. Legimus vero in *Motu Proprio* (n. 12): "Non tamen unius vocis melos prorsus arcetur"; et ex historia gregoriana monodiae bene scimus eminentem partem, quam habuit "solus" in cantu responsoriali.

Choralitas igitur, quam Beatus Pius X promovit contra abusus cantus solistici theatralis in Ecclesia, nullatenus impedit quominus musicae sacrae hodierni artifices melodiam etiam ornatissimam proponant, dummodo haec qualitates habeat musicae sacrae proprias, uti egregie effecerunt perantiqui et ignoti artifices gregoriani cantus, qui sane in sola melodia consistit eaque tam varia ac splendida, ut omnes norunt.

Insuper, contra excessus tunc temporis investos usus, imo abusus organi et instrumentorum, Beatus Pius X musicae sacrae vocalitatem, juxta antiquam ecclesiasticam traditionem enixe commendat: quo tamen minime improbat rectum eorundem instrumentorum, ac praesertim organi, usum iuxta modernissima etiam inventa, si intra fines a Sacra Liturgia praefinitos id fiat.

Praescripta igitur negativa in *Motu Proprio* contenta si obiective perpendamus, ut facere conati sumus, statim apparet quanta prudentia ac moderatione Beatus Pius X in illis statuendis egerit, nec unquam ad abusus etiam gravissimos auferendos in contrarium excessum Ipse ceciderit.

* * *

Si vero positiva musicae sacrae praescripta in *Motu Proprio* enuntiata consideremus, limpidissime clarescit et novitas Pianae reformationis et eiusdem simul perennitas.

Falso enim putaverit quis Beatum Pium X meram syllogem, utique systematicam, redegisse tantum legum quae jam antea editae fuerunt de musica sacra.

In primis anteriores leges fere semper negativae erant, utpote ad abusus extirpandos latae, quin circa musicam sacram principia ponerent positiva, quae contra prima vice ac lucidissime enuntiata inveniuntur in *Motu Proprio*.

Praeterea, si documenta tum pontificia quum episcopalia consideremus, quae saeculorum decursu usque ad Beatum Pium X edita sunt circa musicam sacram unum plus minusve evidenter eruitur, quod nempe musica

sacra habetur utique ut ornamentum praeclarum Liturgiae sollemnis, at quasi quoddam elementum eidem extrinsecum et accidentale.

Aliter sane res est; aliud historia demonstrat, cum impossibile sit evolutionem Sacrae Liturgiae plene intelligere et apte explicare atque illustrare, quin attendatur ad vitalem et substantialem efficaciam quam habuit musica sacra in illa evolutione determinanda. Meminisse tantum sufficiat reformationem sic dictam gregorianam eiusque influxum in evolutionem Sacrae Liturgiae in Medio Aevo. Quod vero S. Gregorius Magnus sua reformatione tunc re perfecit, intimum scilicet instaurans connubium liturgiam inter ac musicam sacram, Beatus Pius X, post tanti temporis spatium, id resumpsit atque perspicue, quasi lapidarie sculpsit initio sui codicis edicens: "I. Musica sacra, utpote Solemnis Liturgiae pars necessaria, huius finem in generali participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium."

Habemus profecto plenissimam incorporationem musicae sacrae in liturgiam, ita ut finis laetificans ac soteriologicus unius sit ipse finis alterius; liturgiae qualitates (sanctitas scilicet, vera ars ac universalitas) eadem sint musicae sacrae notae distinctivae.

En principium essentiale ac informativum Piani Chirographi, quasi centrum gravitationis in quod cetera praescripta omni nisu tendunt; principium originale simul ac perenne, in quo sistit et consistit essentia ipsa verae ac genuinae musicae sacrae eiusque momentum in vita Ecclesiae; principium sane, in quo univoce convenit reformatio Gregoriana ac reformatio Piana de musica sacra, ita ut, nonobstante longo saeculorum intervallo, S. Gregorius Magnus ac Beatus Pius X fraterna uniantur animorum ac mentium communiōne.

Miretur quis forte quod tanti aestimemus huiusmodi principium hodie nobis tan clarum et obvium. Utinam ita esset, non solum in abstracto et theoretice, sed etiam in concreto et in omnibus eiusdem consecrariis.

At aliter res est! Ita, non desunt qui ad Divina Mysteria sollemniter celebranda opera sub respectu musicae artis eximia exsequantur, quae tamen ipsa Divina Mysteria sua nimia amplitudine obruunt. Re quidem vera, cum musica sacra Liturgiae incorporata sit tamquam eius pars, necessario sequitur musicam sacram mancipiam esse debere Sacrae Liturgiae, non Sacram Liturgiam musicae sacrae subiiciendam esse: quod Beatus Pius X in *Motu Proprio* (n. 23) expresse declaravit.

Si quispiam vero obiiciat musicam sacram, cum artis dignitatem habere debeat, plenissimam sibi vindicare libertatem, respondeo dicendum quod in hoc praecise stat musicae sacrae dignitas ac eximia eiusdem no-

bilitas, ut partem habeat in Sacra Liturgia, quae, iuxta perspicuam Summi Pontificiis Pii XII definitionem (Litt. Enc. *Mediator Dei*, n. 20), est “cultus integralis Mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque Eius”: quo probe nihil dignius concipi et haberi potest.

Vera autem ars, quae post sanctitatem uti qualitas musicae sacrae praecipua in *Motu Proprio* declaratur, non in quantitate, sed in qualitate consistit; non in elementorum multitudine, sed in eorundem perfectione; non in effraenata licentia huc illuc vagandi, divagandi et extravagandi, sed in rerum ordine sapienti cum pulchritudinis splendore coniuncto. Quod ut consequi possint, musicae sacrae artifices amplissimam habent libertatem a *Motu Proprio*, quatenus Beatus Pius X finem utique praestituit musicae sacrae, at, iuxta perantiquam Ecclesiae traditionem, consulto abstinuit a praefiniendis mediis technicis vel regulis aestheticis ad illud consequendum.

Et haec est vera humana libertas, ad bonum scilicet tendendi, iter quisque sibi eligens quod magis placet vel convenit.

Sed aliud ex enuntiata musicae sacrae incorporatione in Sacram Liturgiam profluit consecrarium, cui hodie quidam audacter refragantur: de lingua loquor, quae in musica sacra adhiberi convenit ac debet.

“Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est; itaque in solemnibus Sacris liturgicis prohibentur omnino cantus vulgari eloquio editi; eoque magis circa partes variables vel communes tum Missae, tum Officii.” Ita Beatus Pius X in *Motu Proprio* (n. 7).

Clarissima ac gravissima verba, quae tamen quidam ita pervertere non erubuerunt: “sermo latinus, sermo cinensis; ergo in Sacra Liturgia lingua vulgaris adhibeatur.”

Calvinus etiam asseruit: “Missam non nisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debere” (4). Cui Tridentini Patres responderunt: “Si quis dixerit... missam non nisi in lingua vulgari celebrari debere..., anathema sit” (5). Omnes insuper optime sciunt quod recentissime Pius XII in citatis Litteris Encyclicis *Mediator Dei* ad rem scripsit: “Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas” (6).

Non ignoro difficultatem, quam hodierni novatores contra linguam liturgicam opponunt. “Si velimus—ipsi aiunt—ut fideles omnes Divina Mys-

(4) THEINER: *Acta genuina SS. Oecumenici Concilii Tridentini...* (Zagabriae, 1874), vol. I, 603.

(5) THEINER, *ibid.*, 645-646.

(6) A. A. S., vol. 39 (1947), p. 545.

teria participare possint, necesse est ut eadem intelligant: quod probe adhibendo linguam vulgarem fieri potest."

Quibus hodiernis novatoribus non ego respondeam, sed ipse novatorum princeps, Lutherus, qui haec habet (7): "Coena haud exigit linguam vulgarem; nam ad quid verba sacramenti proferre lingua vulgari, si illi qui illud recipiunt antea non audierint eorundem verborum explicationem in sermone? Oportet—instat Lutherus—ut qui communicantur, verba sacramenti habeant in corde, non in auribus. Credendum est praesentiae Christi in Sacramento: quae fides excitari nequit nisi per explicationem verborum Coenae.

Si ita novatores, qui, nihil aliud videntes in Missa quam memoriale quoddam Sacrificii Crucis, aspectum tantum pedagogicum ac subiectivum in Coena excoluerunt; quid dicent catholici, qui, tenentes in Missa verum ac proprium haberi D. N. I. C. Sacrificium, aspectum in primis obiectivum ac ritualement in Sacrificio Missae considerant, quin tamen eiusdem intelligentiam ac participationem negligant?

Patres enim Tridentini, dum latinae linguae usum in Liturgia firmiter tenent contra novatores, enixe commendarunt ut in catechesi ad populum sensus ac verba Sacrae Liturgiae opportune explicarentur (8).

Quare Beatus Pius X in contradictionem nullatenus lapsus est, quando in *Motu Proprio* ex una parte ecclesiasticam traditionem linguae latinae confirmavit (ut vidimus), ex altera parte non semel nec obiter exhortatus est ut fideles Divina Mysteria plane intelligerent eaque active participarent mediante cantu sacro.

Dixi profecto de lingua in musica sacra adhibenda, et quidem in Liturgia Solemni; nam aliis in adiunctis S. Sedes, attentis peculiaribus rerum ac temporum circumstantiis, aliud decrevit, iuxta ea quae in citatis Litteris Encyclicis *Mediator Dei* ipse Pius XII innuit.

Notetur tamen ipsam novissimam Psalterii latinam translationem non ad choralem Divini Officii cantum, sed ad privatam tantum eiusdem recitationem propositam fuisse. Et si quando editiones nuper factae sunt Officii choralis cum novissima Psalmorum latina translatione, Antiphonae (quae probe ex Psalmis excerptae sunt) eadem remanent quae iuxta antiquam hyeronimianam translationem exstant cum propria melodia gregoriana, quae plane ita intime cum antiquo textu cohaeret ut, si iste mutetur, illa corruiat.

(7) MARTIN LUTHER: *Wider die himmlischen Propheten, von den Bildern und Sakrament*. Cfr. Werke: *Kritische Gesamtausgabe* (Weimar, 1883), vol. XVIII, 123/5-125/14.

(8) *Conc. Trident.*, sess. XXV, can. 7.

Si ita de Antiphonis, quid tandem evenit de immenso illo ac pretiosissimo thesauro, ab Ecclesia tot saeculis ac vicibus cumulato ac studiosissime servato, monodiae gregorianae et classicae polyphoniae; quid de ipsis praeclaris modernae ac hodiernae musicae sacrae operibus super latino textu confectis, si sermo vulgaris latinae linguae munus in musica sacra usurparet? Quod si tandem fieret (monstruose scilicet aptando his melodiis, ex latino textu germinatis atque ideo cum eodem latino textu arcte coniunctis, textum vulgarem), cum hic in dies mutetur, et huiusmodi monstruosa aptationis operatio in dies erit repetenda ad instar mythologici Xisphi!

Quod velim ne excidat a mente eorum qui linguam vulgarem, non tantum in privatis (uti profecto licet iuxta Ecclesiae praescripta), sed in Solemnibus etiam Sacris Liturgicis indiscriminatim et acerrime propugnant!

Est et cantus mulierum, de quo vehemens fervet disputatio.

Attenta autem illa musicae sacrae incorporatione in Sacram Liturgiam, Beatus Pius X ita ad rem in *Motu Proprio* (n. 13); "Quum cantoribus in Ecclesia munus vere liturgicum sit, consequitur mulieres, talis officii expertes, ad chori partem agendam aut ullo modo in musicum chorum admitti non posse. Quod si acutae vel acutis proximae voces adhiberi velint, id pueri praestabunt."

Ergo, juxta *Motu Proprio*, mulieres a laudibus ad Deum concinendis omnino sunt arcendae? Absit! Etenim quam alienum hoc est a mente Beati Pii X et ab ecclesiastica traditione ex eo constat quod ipse Beatus Pius X. ad antiquam provocans Ecclesiae traditionem, vehementer hortatus est ut fideles omnes—viri ac mulieres, pueri ac adulti—in Sacris canant, "quoad divinas laudes Mysteriaque celebranda magis agentium partem... conferant" (MP, n. 3). Et quoniam "devotus foemineus sexus" in communitate fidelium et numero et pietate laudabiliter eminet, uti praecipua populi pars cantum sacrum ergo ducat vel saltem valide sustineat in iis, quae ad populum spectant.

Quid igitur erit de choris mixtis, qui multis in locis florent?

Vivant, crescant, floreant, non autem ad chori munus liturgicum usurpandum, sed ad musicam religiosam longe lateque diffundendam atque ideo ad spiritum christianum in nostra societate laicismo ac materialismo affectam excitandum atque fovendum: egregium probe opus, quod meritis laudibus honestari convenit. Attamen ad musicam in Sacris Solemnibus liturgicis exsequendam, quoad voces acutas vel acutis proximas, iuxta antiquissimum Ecclesiae morem, pueri adhibeantur, quamvis difficultates, nec novae neque insuperabiles, hodie obstant. Profecto annis praeteritis videntur Pueros Cantores, qui Romam ex omni orbis parte conferta acie convenientes,

factis omni verborum eloquentia praestantibus demonstrarunt antiquam illam Ecclesiae traditionem adhuc vigere ac in dies propagari.

Ut ex praedictis apparet, principium incorporationis musicae sacrae in Liturgiam, quod in hac nostra materia essenziale ac fundamentale dixi, si theoretice est clarum ac pacificum, vehementer tamen controvertitur in suis consecrariis, quamvis haec recto tramite ac necessario ex illo principio scateant. Si tamen velimus ut musica sacra altissima gaudeat dignitate, qua Liturgia pollet, necesse omnino est ut principium illud, cum omnibus suis consecrariis, firmiter, firmissime teneamus in eoque fidenter sistant musicae sacrae artifices hodierni, si velint, viam regiam prosequentes monodiae gregorianae et classicae polyphoniae, musicam vere sacram, modernissimis artis mediis utentes, exhibere, ad Dei gloriam animarumque salutem, iuxta mentem Beati Pii X; Cui puto nullum magis gratum ac sincerum obsequium nos praestare posse ac debere iubiliari hoc anno Eiusdem reformationis musicae sacrae, in qua plane non tantum pontificia Auctoris praefulget, quam Eiusdem sanctitas; quatenus, ut in ceteris Sui Pontificatus gestis, ita etiam ac praeprimis in *Motu Proprio* de musica sacra, gloriam Dei animarumque salutem Ipse unice petit.

Ad materiam Chirographi Piani intimius perscrutandam non pauca adhuc dicenda essent; at nimium iam patientia vestra usus et forte abusus sum.

Unum tantum addere mihi liceat ad *Motu Proprio* momentum declarandum.

Si arbor ex eius fructibus cognoscitur, dicendum *Motu Proprio* arborem exstitisse optimum, non, obstante quorundam operariorum ignavia.

Etenim editio "iuxta codicum fidem" gregoriani cantus eiusque diffusio, musicae sacrae studium in Seminariis aliisque Collegiis Ecclesiasticis, foundationes Scholarum cuiuscumque gradus ad musicam sacram docendam, propagatio Consociationum a S. Caecilia in multis Nationibus, institutio ephemeridum ad musicam sacram illustrandam ac fovendam: haec omnia prono alveo ex uno fonte profluunt, ex *Motu Proprio* nempe Beati Pii X, Quem durante hoc iubiliari anno inter Caelites veneraturos speramus. Quod quidem si tandem evenerit, uti certum fere iam videtur, iterum iterumque momentum demonstrabitur quod nostris hisce temporibus Divina Providentia musicae sacrae attribuit; quatenus qui initio Sui Pontificatus, tot tantisque difficultatibus praepeditus, ad omnia in Christo instauranda, initium ducere censuit non ab aliis (nec paucis neque levibus negotiis), sed a musicae sacrae reformatione, ipso iubiliari anno huius reformationis—quasi in eiusdem praemium—sanctitatis aureola condecoretur.

FLORENCIO ROMITA

Faxit Deus ut illo eodem die, adstantibus Episcopis, Clericis ac fidelibus ex omni mundi parte Romae coadunatis nobisque ex imo corde iubilantibus, Summum Pontificem Pium XII audiamus proclamantem Pium X musicae sacrae novissimum Patronum.

FLORENTIUS ROMITA